



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 361. Usque Ad Annum 395

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1758

VD18 90117786

§. 23. S. Ambrosii Tractatus de Incarnatione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66032)

& intellectum, non ideo affirmamus, fuisse Sæculum IV. A. C. 387.
 subjectum peccato, quod a cogitationibus oritur. Hic dispicimus, errorem Apollinaris Romæ fuisse optime cognitum, & damnatum; Vitalem vero, quamvis in Greg. Naz. 2. ad Cledon. p. 746.
 eum suspicio caderet, erroris necdum fuisse convictum; e contra Damaso Papæ fidei formulam tradiderat, quæ Orthodoxa videbatur, atque Papa rem Paulino discutiendam reliquit.

Ad idem tempus refertur Epistola Ap. Theod. S. Damasi ad Orientales, quæ ita incipit: V. c. 10.
Quando Sedi Apostolicæ honorem debitum exhibetis, nemo majus emolumentum, quam vos ipsi, honoratissimi filii mei! inde percipit. Deinde docet, se jam a Sup. l. XVII §. 32.
 multo tempore Timotheum unacum Magistro suo Apollinari, præsentem Petro, Episcopo Alexandriæ, damnasse; non igitur esse, cur petant, eum rursus deponi. Ergo hortatur, ut fidem Nicenam constantem teneant, & non tolerant, ut sibi subditi vana eloquia, & quæstiones dudum definitas auscultant.

§. XXIII.

S. Ambrosii Tractatus de Incarnatione.

Eodem ferme tempore S. Ambrosius Paul. vit. Tractatum de Mysterio Incarnationis Ambr. c. 18.
 contra supra dictos errores scripsit. Oc-
 Yy 2 casio-

Sæculum IV. A. C. 383. cationem scribendi dederunt duo cubi-
 cularii, seu camerarii Gratiani Imperato-

ris, qui erant Ariani. Hi S. Ambrosio, pro Concione dicenti, quæstionem de Incarnatione Domini Nostri proposuerunt, promittentes se altera die in Basilica Portiana adfuturos, ut responsum audirent. Altera die hi duo viri contemnentes promissum suum, Episcopum, & populum, in Ecclesia congregatum, conscenso curru urbe exierunt oblectationis causa. S. Ambrosius, postquam diu expectasset, & ultra detinere populum non posset, suggestum Ecclesiæ ascendit, atque de illa quæstione differe-

De incarn.

6. 16

re cœpit, dicens: Debitum, sicut promisi, solvere cupio, fratres mei! sed besternos meos debitores non conspicio; nisi forte putent, fraudibus turbari nos posse? at vera fides nunquam turbatur. Forte tamen venient, interim hos duos agricolas, qui nobis in lectione proponuntur, consideremus. Nempe Cain, & Abel quorum historia fuerat prælecta. Inde sumpta occasione materiam aggreditur, & statim illorum Hæreticorum numerum init, qui circa Filium Dei errabant; his illos accenset, qui animam rationalem a Mysterio Incarnationis excludebant, nempe Apollinaristas, quos tamen non nominat; tum subjungit, eos forte S. Trinitatem rite honorare, sed nescire Naturam

6. 2. 11. II.

ram humanam a Divina distinguere. *Na-Sæculum IV.*
tura Dei, inquit: simplex est; homo ex A. C. 383.
anima rationali, & corpore compositus,
si alterutrum tollas, hominis totam natu-
ram destruis. Deinde contra Arianos *c. 3. 4.*
 disputans, Divinitatis Verbi æternitatem
 probat; & ad Apollinaristas digrediens, *c. 6. n. 49. & c.*
 demonstrat diversitatem carnis Jesu
 Christi, & Divinitatis ejus; quippe dice- *c. 7.*
 bant Verbum in carnem fuisse mutatum.
 Tandem alterum eorum errorem refel-
 lit, quo Jesu Christo animam rationalem,
 tanquam peccati principium, eripiebant.
 Et hic sermonem claudit.

Interim duo Cubicularii, dum lon-
 giori excursionem oblectantur, curru ex-
 cussi, & funesto lapsu ambo extincti sunt.
 Revecta corpora, terræ mandata; at S.
 Ambrosius, ne miserorum memoriæ in-
 sultare videretur, nusquam in suis libris,
 ne quidem, dum hunc ipsum sermonem,
 quem, ab ipsis provocatus, pronuntiave-
 rat, conscripsit, de tristi casu mentionem
 facit. In dicto sermone Tractatus ejus
 de Incarnatione consistit. Imperator ve-
 ro Gratianus, qui huic sermoni non ad-
 fuerat, Objectionem Ambrosio propo-
 suit, in qua Ariani maximam vim conti-
 neri jactabant, nempe Filium, cum esset
 genitus, ejusdem cum Patre naturæ esse
 non posse, qui esset ingenitus. Ergo
 S. Ambrosius hujus objectionis solutio-

Sæculum IV. nem adjunxit, quæ in hoc versatur car-
 A. C. 383. dine; distinctionem Geniti, & non Ge-
 niti non Naturam, sed Personam respi-
 cere.

§. XXIV.

*Epistola S. Gregorii Nazianzeni ad
Cledonium.*

Vita Greg.
p. 32.

Sanctus Gregorius Nazianzenus quoque
 in suo secessu contra errores Apolli-
 naris scripsit, quibus Ecclesia Nazianze-
 na turbabatur. Is in Cappadociam re-
 versus in prædium Arianzenum, quod
 sibi de paterna hæreditate obvenerat,
 concessit, ibique, quamvis magna corpo-
 ris infirmitate debilitatus, vitam pœni-
 tentiæ rigore asperam duxit, quam ta-
 men quies, & solitudo ei suavem redde-
 bant. Imo totum quadragesimæ tempus
 silentio exegit, & Poema concinnavit,
 quo sui silentii rationem explicat; aliud
 composuit in festis Paschalibus, ut inter-
 ruptum sermonem rursus a Laudibus
 Jesu Christi inchoaret. Attamen rediens
 Ecclesiam Nazianzenam, non eo fervore,
 quo par fuisset, absentia suæ tempore
 cultam, invenerat, atque Apollinaris er-
 roribus infectam; id quidem primo pa-
 tienter tulit, videns autem Hæreticos,
 eo non contentos, quod errores propa-
 garent, etiam seipsum calumniari, & af-
 firmare, in eorum stare sententia, quia
 cum

Carm. 54. p.
128. *Carm.*
55. p. 131.
Carm. 5. p. 74
Carm. jamb.
23. p. 244.
orat. 51.